

viditur in *scientiam de Deo* five *Theologiam naturalem*, quam Deus per revelationem *sanctificavit*, & in *scientiam de anima*. Quia vero ex animæ nostræ consideratione ad perfectissimum rerum omnium Creatorem assurgimus, recta methodus postulat ut *scientiam de anima* primum explicemus. Anima consideratur vel *in ordine ad se*, vel *in ordine ad corpus*; itaque de animæ spiritualitate atque immortalitate variisque illius facultatibus agendum est, ac tandem de sensationibus tractandum. Verum in hac amplissima rerum utilissimarum copia, multa sunt quæ lectorem monitum velim. Et primum quidem distinguendæ sunt diligenter & accurate tractandæ gravissimæ quæstiones ad ipsam Religionis substantiam pertinentes, neque Philosophicis opinionibus prophana confusione miscendæ. Itaque id summo studio curandum est, ut fidei nostræ dogmata cum philosophicis hypothesibus non connectantur, sed talibus demonstrantur argumentis, quæ a nullo illibatæ fidei philosopho negari possint. Totis quidem viribus obsistendum est errori periculosisque opinionibus; sed laudandi minime sunt Metaphysici, qui religioso quidem sed